



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. IX. Quo pacto practicum, & speculatiuum eisdem scientiæ
conuenire possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Okam.
Gabr.
Gregor.

26.

euadat in arte, sine intentione tunc ea vtendi, dicetur speculati, & contemplari potius, quam practicum notitiam habere. Bene video contrarium docuisse Okamum q. 4. Prola. 2. qui ponitur r. 1. q. in ord. Gabriel. q. 1. a. 1. no. at. 2. & Greg. q. 5. a. 2. qui censent, ex eo solum notitiam aliquam dicendam esse practicum, quod habeat opus, & praxim pro obiecto. Alioqui sequeretur, inquit Greg. eundem habitum successiue esse practicum, & speculatiuum circa eandem conclusionem. Ego vero id non existimo abiurdum; quia non repugnat aliquem considerare opus, vt faciat, aut solum speculand, & contempland veritatis, & naturae illius gratia; & ita eundem habitum, circa eandem conclusionem, simul esse practicum, & speculatiuum; quamquam eadem notitia simul vtrumque esse non possit. Habitus autem simul est practicus, & speculatiuus, quia potest saltem successiue vtroque modo operari.

CAP. VI.

Explicatio vterioris sententiae.

Theologia
simul est
practica &
speculatiua

27.

Ecce hactenus fundamenta, quibus postrema sententia confirmanda est, & explicanda; quae asserit, Theologiam esse vnam scientiam, simul practicam, & speculatiuam. Iam vero hac ratione probatur. Illa scientia practica dicenda est, cuius actus est practica notitia; speculatiua vero, cuius actus est sola contemplatio, & speculatio; quod si aliqua scientia habere possit actum vtriusque rationis, simul erit practica, & speculatiua; habitus enim scientiae ab actu proprio denominationem habet, sed Theologia vtrumque actum elicere potest: ergo simul est practica & speculatiua. Nam ex iactis fundamentis facile patet vtrumque actum à Theologia elici posse: practica enim notitia est, quae praxim habet pro obiecto, vt in tertia notatione dictum est, & circa illam versatur eo modo, quo dirigit ad opus, vt in vltima notatione explicauimus. Speculatio vero, aut est talis obiecti quod non est praxis ipsius cognoscentis, aut licet habeat pro obiecto opus ipsius, circa illud tamen versatur gratia solum contemplandae veritatis, non autem operandae, vt in eodem vltimo fundamento notatum est. Atqui Theologia habet actus vtriusque rationis, ex parte enim considerat Deum, mysterium Incarnationis, & alia id genus, quae non habent rationem praxis: ex parte vero considerat multa in operatione posita: & haec duobus etiam modis, v. l. sola contemplatione veritatis, vel gratia operationis: potest enim Theologus vti Theologia perinde, atque prudentia, vt moueat seipsum ad recte operandum: habet ergo vtrumque actum, practicum videlicet, & speculatiuum, non tantum circa diuersas conclusiones, sed etiam circa eandem, vt explicatum est.

S. Thom.
Cap. 1.
Theologia
praecipue
speculatiua

Addunt tamen S. Thomas, Capreolus, & alij Thomistae Theologiam praecipue dicendam esse speculatiuam: id quod ego etiam verum existimo, non quia maiori ex parte speculatiua sit: quamquam & hoc, si omnia bene computentur, verum est: sed quia praecipuum obiectum illius, per ordinem ad quod cetera, quae in ea tractantur, ad ipsam tanquam ad vnam scientiam pertinere dicuntur, Deus est, qui solius speculationis obiectum esse potest. Ex quibus omnibus satis constat hanc esse vtiorem sententiam: quia eodem modo practi-

cum, & speculatiuum vsurpat, quo Aristot. & alij philosophi acceperunt. Ex his quoque impugnari possunt opiniones singulae, quas initio recensuimus, nam earum auctores sine fundamento aliquo, prout eis libuit, practici, & speculatiui denominationes vsurparunt. Si qua vero sunt pro illis argumenta, ex dictis facile diluuntur.

28.

DISPUTATIO IX.

Quo pacto practicum, & speculatiuum eidem scientiae conuenire possint.

Eandem scientiam Theologiae, sed non eundem habitum esse practicum, & speculatiuum senserunt Nominales. cap. 1.

Habitum Theologiae esse practicum, & speculatiuum eminenter, docuit Caius. an. cap. 2.

Vterior sententia, eundem habitum Theologiae non solum eminenter, sed forma uer esse practicum, & speculatiuum cap. 3.

CAP. I.

Eandem scientiam Theologiae, sed non eundem habitum esse practicum & speculatiuum senserunt Nominales.

SUPEREST difficultas inter Doctores, qui vltimam sententiam superiori disputatione secuti sunt, qui fieri possit, vt practicum, & speculatiuum, quae non solum videntur esse differentiae essentiales, & oppositae habituum, sed etiam facultatum, vt docet Aristot. 3. de Anima c. 10. text. 31. eidem Theologiae, aut habitui conueniant. In qua difficultate prima opinio est Okami, Gabri. Greg. & Maioris: qui affirmant, eandem scientiam Theologiae simul esse practicam & speculatiuam, non tamen eundem habitum. Putant enim Theologiam, & quamcunque scientiam pluribus habitibus constare: imo singulis circa singulas conclusiones, ex omnibus tamen conflari scientiam Theologiae ordine quidem vnam, non autem in genere qualitatis: & quia in ea sunt variae conclusiones, aliquae omnino in speculatione, quales sunt de Deo, aliquae circa praxim, ideo dicunt Theologiam esse practicam, & speculatiuam simul non secundum eundem habitum circa eandem conclusionem, sed ratione vnius practicae, ratione alterius speculatiuae. Ex commemoratis vero auctoribus Gregorius non vult concedere eundem habitum practicum, & speculatiuum circa eandem conclusionem vt superiori disp. cap. 5. in fine retulimus.

Okam.
Gabr.
Gregor.
Maior.1.
Quamuis scientiam pluribus habitibus constare.

Horum autem sententia, & fundamentum mihi non probatur. Primum quia censo vnam scientiam esse vnam simplicem qualitatem, de quo modo ex professo non disputo: id quod hac ratione mihi habeo persuasum. Quia habitus scientiae debet esse qualitas distincta ab speciebus intelligibilibus. nam scientia nequit esse coordinatio specierum: vix enim intelligi, nedum explicari potest, quis sit ille ordo specierum, quem, nonnulli dixerunt, esse habitum, cum non sit ordo secundum situm, nec secundum aliquam immutationem substantialem ipsarum specierum: esse autem vnam simplicem qualitatem distinctam a

Scientia est
vna simplex
qualitas
distincta a
specie.

spe-

speciebus non autem plures circa singulas conclusiones, sic ostendo. Quia si essent plures, una sine alia esse posset: nam ea, quæ realiter distinguuntur, separari inuicem queunt, si res à re distinguantur: sed habitus circa posteriorem conclusionem non potest esse sine habitu circa priorem, sicut neque demonstratio posterioris sine prioris demonstratione: signum ergo est, non esse plures habitus, & qualitates, sed eandem diuerso modo. Dico autem diuerso modo, quia sicut eadem qualitas reperitur minus intensa, & intensior, & ea ratione latitudinem habere dicitur: sic etiam eadem qualitas circa primam, & secundam conclusionem latitudinem habet, quam dicimus latitudinem extensionis: quinimo eadem ratione crediderim habitum conclusionum, & principiorum, ex quibus illa deducuntur, non esse duos habitus, sed eundem magis extensum, quia unus alium supponit essentialiter, ita ut posterior circa conclusiones, non possit esse sine priori, qui est circa principia. Idcirco Arist. 6. Ethic. cap. 3. dixit sapientiam esse scientiam, & intellectum simul eorum, quæ honorabilissima sunt. Appellat autem scientiam, quatenus est conclusionum: intellectum vero, quatenus est principiorum in eadem facultate. Putat igitur esse eundem habitum circa principia, & circa conclusiones, sed magis extensum: siquidem sapientiam ibi connumerat, tantum unum habitum.

Deinde, ut diximus in ultima notatione, circa eandem conclusionem potest esse notitia practica, & speculativa: ergo & habitus eodem modo practicus, & speculativus esse potest. Quare licet obiectum Theologiæ esset sola operatio, sicut est obiectum philosophiæ moralis: nihilominus Theologia simul esset practica, & speculativa: sicut est philosophia moralis, & logica, quia utroque modo posset res considerare.

CAPVT II.

Habitus Theologiæ esse practicum, & speculativum, eminenter docuit Caietan.

Secunda opinio est aliorum asserētium, Theologiam esse unum habitum & simplicem qualitatem: id quod de quacunque etiam scientia affirmant, & esse simul practicum, & speculativum: quia partim circa operationem versatur, partim circa res, quæ non cadunt sub operationem: cuius sententiæ videtur esse Caietanus. Cæterum, ut explicet difficultatem propositam, videlicet quomodo eidem habitui conveniat practicum, & speculativum, quandam philosophandi rationem magis subtilem, quam veram excogitavit: quam recentiores in hac parte mirum in modum laudant, & amplectuntur. Inquit ergo in commentario huius art. §. In corpore, Theologiam nec esse pure practicam, nec pure speculativam, sed altiori quadam ratione quod alij eminenter vocant, utrumque in se continere.

Huius rei explicande gratia notat, practicum, & speculativum non esse per se differentias essentielles, primo diuidentes scientiam vniuersam, sicut neque visum & auditum diuidunt proximè sensum generatim: sed quemadmodum sensus primum diuiditur in communem, & particula-

rem, deinde particularis in visum, & auditum: ita scientia in vniuersum essentiali diuisione primum distribuitur in scientiam finitam, & infinitam, hoc est finiti, & infiniti obiecti: præterea finita scientia in speculativam & practicam. Quare si practicum, & speculativum referantur ad scientiam vniuersam, non sunt differentię essentielles: quia simul sunt in eadem, quæ est infiniti obiecti, qualis est Theologia: relatæ verò ad scientiam finitam, sunt essentielles differentię: quia in vna scientia finita, hoc est finiti obiecti, utraque ratio simul non reperitur. Sicut ordo ad visibile, & audibile, & ad alia sensibilia in particulari, non sunt differentię sensus in vniuersum; quia in aliquo sensu, videlicet in communi interiori, uterque respectus inuenitur: at in sensibus particularibus sunt differentię essentielles, & simul in vno non inueniuntur.

Ratio verò, ob quam scientia infiniti obiecti esse potest practica, & speculativa ea est: quia quæ dispersa sunt in inferioribus, vniuntur in superioribus: quare practicum, & speculativum, quæ non possunt eidem habitui circa idem obiectum finitum simul convenire, reperiuntur in habitu Theologiæ, qui circa obiectum finitum versatur: res enim infinita tantæ excellentiæ est, ut possit esse obiectum speculationis, & regula praxis. Ex hac doctrina nonnulli recentiores colligunt, Theologiam non esse formaliter practicam, nec speculativam, sumendo practicum, & speculativum, ut sunt differentię scientiæ finitæ: in qua sententia putant esse Caietanum, imo & S. Thomam, eo quod asserunt, Theologiam, si cum alijs scientijs inferioribus conferatur, ita se habere, quemadmodum se habet sensus interior ad exteriores: atqui (inquiunt Thomistæ) nulla differentia exterioris sensus convenit formaliter sensui interiori: ergo nec practicum, nec speculativum, quæ sunt per se differentię scientiæ finitæ, convenire possunt formaliter Theologiæ, quæ est superior, & communis scientia. Sed rursus, nescio quâ ratione, iidem Thomistæ concedunt probabile esse in eo sensu iam dicto Theologiam esse speculativam formaliter accipiendo speculativum, ut est differentia inferioris scientiæ: non tamen esse formaliter practicam, accipiendo practicum eodem modo cum eadem prioris videatur ratio utriusque si eodem modo accipiatur.

CAP. III.

Verior sententia, Eundem habitum Theologiæ non solum eminenter, sed formaliter esse practicum, & speculativum.

Ego vero existimo, Theologiam nostram, non eminenter, sed formaliter esse practicam, sicut aliæ scientiæ obiecti finiti, practicæ sunt: ut autem ostendamus, quo modo practicum, & speculativum formaliter eidem scientiæ convenire possint, notandum est primum, aliquem habitum subire rationem practici, vel speculativi, ex eo sciam, quod est principium, vel speculationis, vel practicæ notitiæ, interdum autem vnam tantum rationem convenire habitui, aliquando utramque simul: veluti ratio speculativi convenit Metaphysicæ, ratio practici prudentiæ, utraque vero philosophiæ morali, & nostræ

Id est habitus conclusionum, & principiorum.

Aristot.

Theologiam eminenter esse practicam & speculativam.

Caietan. S. Thom.

Caiet. Similitas Caietan. de Theologia eminenter practica, & speculativa.

Practicum & speculativum de nominationes communes sunt.

nostræ Theologiæ. Neq; obstat differentia aliqui specificæ, & essentialis; quo minus diuersis habitibus conueniat ratio practici, & ratio speculatiui; veraque enim habere potest rationem communis denominationis, & non essentialis, & proinde habitibus omnino diuersis conuenire.

Ex practico, & speculatiui inter se colligitur differentia essentialis.
6.

Deinde notandum est, ex ratione practici, & speculatiui, etiam si sit communis quadam, & quasi accidentaria denominatio, colligi aliquando differentiam essentialem habituum, videlicet, quoties habitus aliquis est omnino practicus, vel omnino speculatiuus. Tunc enim obiectum adæquatum horum habituum est res omnino diuersa; ex diuersitate vero obiecti adæquati differentia essentialis habituum optime inferitur: licet enim diuersi habitus, & potentia circa eandem rem versari possint, nunquam tamen adæquate illam respiciunt: veluti sensus communis, & visus circa colorem operantur, sed non adæquate. Itaque in habitibus, qui apti sunt tantum practici, vt prudentia, aut tantum speculatiui, vt Metaphysica, licet ratio practici, & speculatiui sit optimum indicium differentia essentialis, quia tunc vnaquæque earum adæquate conuenit, ex quo sequitur obiecta adæquata diuersa esse; in Theologia tamen, & in alijs scientijs, quæ simul sunt practica, & speculatiua, ratio practici, aut speculatiui signum esse non potest sufficiens distinctionis secundum speciem: quia cum eodem habitui secundum rem simul conueniant, non possunt esse causa diuersi obiecti adæquati secundum speciem: sic ergo non repugnat practicum, & speculatiuum in eodem habitu, & in eadem facultate simul reperiri. Tunc autem non solum non sunt differentia essentialis habitus, aut facultatis, verumetiam ex illis talis differentia colligi non potest. Quod si practicum, & speculatiuum in intellectu differentiam essentialem constituerent, eodem modo opinatiuum, & demonstratiuum in eodem intellectu; & in visu respectus ad album, & respectus ad nigrum, & in sensu communi respectus ad colorem, & sonum, distinctionem secundum speciem inferrent: quod est absurdum.

7. Hac ratione S. Thomas infra qu. 79. artic. 11. docet, practico, & speculatiuum non posse distinguere facultatem intellectus secundum speciem; quia vtraque ratio accidentarie respicit obiectum adæquatum intellectus. Obiecto enim vniuersim accepto, accedit esse praxim, vel rem speculatiui solum subiectam, sicut animali accedit esse hominem, aut equum. Ex solo enim respectu ad varia obiecta, nisi sunt adæquata, colligi non potest differentia habitus, aut facultatis secundum speciem: adæquata autem esse non possunt, quæ eidem facultati, vel habitui secundum rem conueniunt. Supposita vero distinctione reali facultatum, vel habituum, varia obiecta sunt causa diuersitatis secundum speciem in habitibus, vel facultatibus: quia varia obiecta sunt adæquata: veluti color, & sonus, qui non poterant distinguere secundum speciem facultatem sensus communis, quia eadem facultas secundum rem vtrumque complectebatur, in visu, & auditu sunt causa distinctionis secundum speciem: quia supposita distinctione reali potentiarum, habent rationem adæquati obiecti.

Contra hanc doctrinam solum videtur esse A.

rist. qui. 3. de Anima tex. 53. ita scribit; *Constat etiam, eos oportere, qui partes anime diuidunt, si modo potentias ipsas diuidant, atque separent, complures ipsas esse concedere, nutriendi principium, sentiendi, intelligendi, deliberandi, & appetendi.* Vbi distinguit potentiam intelligendi, quam speculatiuam dicimus, à potentia deliberandi, quam practicam vocamus. Respondeo primum, manifestum esse has facultates intelligendi, & deliberandi non distinguere realiter, nec villo modo ex natura rei; eadem enim vis animæ speculatur, & deliberat. Quo supposito, neq; per rationem nostram distinguere possunt secundum speciem, vt colligitur ex ratione S. Thomæ superius allata: in quo recte idem S. Thomas docuit; alioqui & facultas opinandi, & demonstrandi distinguere deberent: quod nullus concedit. Deinde dico, Aristotelem ibi cum distinguit potentias, non tam specificam earum distinctionem attendisse, quam varietatem operationum, ex quibus ratione quadam communi nominare voluit diuersas partes animæ, seu potentias. Eodem modo explicari debet, lib. mag. Moral. 35. cum de partibus animæ loquens, practicam, & speculatiuam enumerat, & 6. Ethic. cap. 1. vbi ait, practicum, & speculatiuum genere differre.

Aristot. Ob. etiam ex Aristot.

Exponitur Arist.

S. Thom.

ARTICVLVS V.

Virum sacra doctrina sit dignior alijs scientijs.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod sacra doctrina non sit dignior alijs scientijs. Certitudo enim pertinet ad dignitatem scientiæ. Sed aliæ scientiæ, de quarum principijs dubitari non potest, videntur esse certiores sacra doctrina, cuius principia scilicet articuli fidei, dubitationem recipiunt: aliæ igitur scientiæ videntur ista digniores.

2. Præterea, Inferioris scientiæ est à superiori accipere, sicut Musicus ab Arithmetico: sed sacra doctrina accipit aliquid à Philosophicis disciplinis: dicit enim Hieronymus in Epistola ad Magnū oratorem vrbis Romæ, quod doctores antiqui in tantum Philosophorum doctrinis, atque sententijs suos refarserunt libris, vt nescias quid in illis prius admirari debeas, eruditionem seculi, an scientiam scripturarum. Ergo sacra doctrina est inferior alijs scientijs.

Sed contra est, quod aliæ scientiæ dicuntur ancillæ huius: Prouerbiorum 9. Misit ancillas suas vocare ad arcem.

Respondeo dicendum, quod cum ista scientia quantum ad aliquid sit speculatiua, & quantum ad aliquid sit practica, omnes alias transcendit, tam speculatiuas, quam practicas. Speculatiuarum enim scientiarum vna altera dignior dicitur, tum propter certitudinem, tum propter dignitatem materiæ.

Incipit hæc epistola. Sebesum nostrum, decernendo ad finem illius. habetur 16. mo 3.

Et

Et quantum ad utrumque hæc scientia alias speculatiuas scientias excedit. Secundum certitudinem quidem: quia alia scientia certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanæ, quæ potest errare: hæc autem certitudinem habet ex lumine diuinæ scientiæ, quæ decipi non potest: secundum dignitatem vero materiæ, quia ista scientia est principaliter de ijs, quæ sua altitudine rationem transcendunt. Alia vero scientiæ considerant ea tantum, quæ rationi subduntur. Practicarum vero scientiarum illa dignior est, quæ ad ulteriorem finem non ordinatur, sicut ciuilibus militari: nam bonum exercitus ad bonum ciuitatis ordinatur. Finis autem huius doctrinæ, inquantum est practica, est beatitudo æterna ad quam sicut ad vltimum finem ordinantur omnes alij fines scientiarum practicarum. Vnde manifestum est secundum omnem modum eam digniorem esse alijs.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet id, quod est certius secundum naturam, esse quoad nos minus certum propter debilitatem intellectus nostri: qui se habet ad manifestissimam naturam, sicut oculus nocturæ ad lumen solis: sicut dicitur in 2. Metaphys. Vnde dubitatio, quæ accedit in aliquibus circa articulos fidei, non est propter incertitudinem rei, sed propter debilitatem intellectus humani: & tamen minimum, quod potest haberi de cognitione rerum altissimarum, desiderabilius est quam certissima cognitio, quæ habetur de minimis rebus, vt dicitur in vndecimo de Animalibus.

Ad secundum dicendum, quod hæc scientia accipere potest aliquid à philosophicis disciplinis, non quod ex necessitate eis indigeat, sed ad maiorem manifestationem eorum, quæ in hac scientia traduntur. Non enim accipit sua principia ab alijs scientijs, sed immediate à Deo per reuelationem. Et ideo non accipit ab alijs scientijs tanquam à superioribus, sed utitur eis tanquam inferioribus, & ancillis: sicut architectionicæ utuntur subministrantibus, vt ciuilibus militari. Et hoc ipsum quod sic utitur eis, non est, propter defectum, vel insufficientiam eius, sed propter defectum intellectus nostri: qui ex his, quæ per naturalem rationem (ex qua procedunt alia scientia) cognoscuntur, facilius manuducitur in ea, quæ sunt supra rationem, quæ in hac scientia traduntur.

Explicatio doctrine articuli.

Conclusio articuli est. Theologia nostra, & quatenus speculatiua & quatenus practica, ceteris alijs scien-

tijs nobilior est. Ex hac conclusione perspicue patet, quid velit S. Thomas in vltimis verbis cum inquit: *Vnde manifestum est secundum omnem modum, eam, scilicet Theologiam, digniorem esse alijs.* dicit enim, *Secundum omnem modum*, non quia ratione euidentia, & aliarum proprietatum nobilior sit, sed quia antecellit alijs, & quatenus practica, & quatenus speculatiua: hoc enim, est secundum omnem modum. Restat igitur, vt explicemus, quare vtroque modo absolute ceteris dignior sit. Primum quidem, quod attinet ad rationem practici, optime id probat S. Thom. & explicat Caietanus in hoc articulo: quare nobis in eo immorandum non est. Quod vero ad dignitatem speculationis spectat, duas affert rationes S. Thom. quibus probat Theologiam ceteris scientijs preestare: quarum posterior optima est, sumpta ex nobilitate obiecti, ex quo dignitas etiam scientiæ pensari debet: & quamuis Metaphysica tractet de Deo, tanquam de præcipuo inter alia, sicut nostra Theologia; diuersa tamen ratione vtraque Deum considerat: Metaphysica enim considerat solum ea, quæ lumine naturali homines consequi possunt; Theologia verò ea solum, quæ ex reuelatis principijs deducuntur: nam, quæ naturali ratione nota sunt, tanquam fundamenta supponit.

Dubitatio circa primam rationem articuli.

Prior ratio, qua id ipsum probat S. Thomas, difficultate non caret: quia videlicet, Theologia nostra certior sit alijs omnibus scientijs. Est autem difficultas, utrum loquatur de Theologia secundum se, an prout in viatoribus. Eorum tamen, quæ dicenda sunt, gratia, præmittenda est diuisio quædam certitudinis, quam fusius explicabimus 2. 2. q. 4. art. 8. Tribus igitur modis capi potest certitudo. Primo, pro assensu determinato vnius partis sine dubitatione, secundo, pro veritate cognitionis, quæ sumitur ex convenientia intellectus cum re, tertio pro actu reflexo, quo quis iudicat nullo modo se falli in eo, quod cogitat. His suppositis, Caiet. in hoc articulo interpretatur S. Thomam, de Theologia secundum se, non prout in nobis: sic enim censet, non esse ceteris certior. Colligit verò ex solutione primi, vbi docet B. Thom. id, quod certius est secundum suam naturam, posse esse nobis minus certum; ideoque circa articulos fidei, qui secundum se natura certissimi sunt, contingere aliquando in hominibus dubitationem, vel formidinem.

Mihi tamen perdifficilis videtur mens S. Thomæ hoc modo intellecta; nec satis perspectum habeo, utrum loquatur solum de obiecto ipso, hoc est, de rebus, quæ in Theologia tractantur; an verò de ipsa scientia. Et quidem si de obiecto loqueretur, dicere non debuit esse certius secundum se. Vt enim probabitur infra disp. 68. cap. 5. & 2. 2. q. 4. artic. 8. res non dicuntur certiores, aut minus certæ, sed magis, aut minus necessariae; certius verò, vel minus certum, sicut fallibile, & infallibile ad cognitionem refertur. Si autem S. Thom. loquatur de scientia, & cognitione secundum se, in aliquo tamen intellectu, nempe aut diuino, aut videntium Deum, vtrita Theologia abstracta sit ab imperfectione, non videtur recte comparari Theologia, quæ est de prædicatis supernaturalibus, cum ceteris omnibus scientijs; nisi tantum rerum creaturarum; cum scientia enim de

Alia quæ ad aliorum ordinatur.

Lib. 1. de partibus animæ, cap. 9. tomus 4.

9.

10.

Caiet. Sententia Caietani.

Certum non dicitur de rebus, sed de cognitione.

11.

de ipso Deo secundum predicata naturaliter de ipsa nota conferri non debet: quia in Deo, & videntibus ipsum eadem est, & eodem modo certa Theologia de Deo secundum vtraque predicata, quocunque modo certitudinem accipias: comparata vero cum alijs scientijs sine dubio certior est, sumpta certitudine secundo modo: eo quod maior est veritas cognitionis, quam Deus de se habet, quam cognitionis de alijs rebus. Hoc tamen modo accepta certitudine pro veritate, ita certa est Theologia de Deo in nobis, atque in ipso Deo: frustra ergo distinguitur Theologia secundum se, & prout in nobis. Si vero certitudo sumatur 1. & 3. modo frustra etiam distinguitur Theologia secundum se, & in nobis: nam secundum se non est certior alijs scientijs, acceptis etiam secundum se: in intellectu enim diuino, ita est certa quaecunque alia scientia, atque Theologia de se ipso vtroque illo modo certitudinis. Frustra autem conferretur aliquis Theologiam secundum se, hoc est in intellectu diuino, cum alijs scientijs in nobis: restat igitur, ut Theologia, prout est in nobis, comparata cum alijs scientijs rerum creaturarum, imo ipsius Dei naturaliter notis, dicatur certior, & nobilior.

Secunda sententia est aliorum Thomistarum, qui docent, Theologiam in nobis eadem ratione certiorē esse alijs scientijs, quia fides infusa certior est, ex parte scilicet obiecti formalis, cui innititur. Sicut enim fides infusa, quæ etiam habetur de rebus creatis eo certior est, quod testimonio primæ veritatis innititur, ut explicabitur 2. 2. quæst. 4. art. 8. sic etiam Theologia nostra certior erit, quia saltem remotè innititur testimonio primæ veritatis proximè vero articulis fidei creditis ex testimonio primæ veritatis. Hoc autem modo accipitur certitudo ab his Doctoribus, pro veritate, & conformatione intellectus ad rem. Neque obstat quod discursus Theologicus aliquando procedit ex altera tantum præmissa de fide, & altera naturaliter nota, quo minus conclusio sit certior, quam si ex vtraque præmissa naturaliter nota solum deduceretur: quatinus enim conclusio sequatur debiliorem partem, etiam in certitudine: nihilominus conclusio, quæ terminis vtriusque præmissæ conflat, ad cuius assensum iuvat præmissa de fide, non potest non habere maiorem certitudinem, quam si ex vtraque naturaliter nota deduceretur. Illa autem propositio; Conclusio sequatur debiliorem partem, in hoc tantum vera est, quod conclusio illa, prout colligitur per syllogismum non creditur fide infusa, sicut altera præmissarum. Cæterum, ut hæc opinio sit vera, necesse est asserere, conclusionem Theologicam colligi ex articulis diuina fide creditis, & non solum acquisita, quod tamen certum non est. Si autem dicamus procedere ex articulis creditis fide acquisita, asserere non possumus ex parte obiecti formalis, hoc est, principij, certiorē esse cæteris scientijs.

Superest ergo, ut dicamus Theologiam in nobis esse certiorē cæteris scientijs, certitudine accepto tertio modo, quam diximus esse in actu reflexo intellectus, quo quis indicat, cognitionem, quam habet de aliqua re, non posse esse falsam, nec rem illam aliter se habere, quam cognoscitur. Sic autem sine dubio magis certa est Theologia nostra, quam quælibet alia scientia, hoc est,

Uaquez in 1. part. T. 1.

magis certissimus, cognitionem illam, quam habemus per Theologiam, falli non posse, quam scientiam aliam quamcunque. Credimus enim, ortum habuisse ex Dei testimonio, cui magis repugnat falsitas, quam cuius scientiæ creatæ.

ARTICVLVS VI.

Verum hæc doctrina sit sapientia.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod hæc doctrina non sit sapientia. Nulla enim doctrina, que supponit sua principia aliunde, digna est nomine sapientiæ, quia sapientis est ordinare, & non ordinari. Metaphysic. sed hæc doctrina supponit principia sua aliunde (ut ex dictis patet.) Ergo hæc doctrina non est sapientia.

2. Præterea, ad sapientiam pertinet probare principia aliarum scientiarum: vnde & caput dicitur scientiarum, ut sexto Ethicor. patet: sed hæc doctrina non probat principia aliarum scientiarum. Ergo non est sapientia.

3. Præterea, hæc doctrina per studium acquiritur, sapientia autem per infusionem habetur: vnde inter septem dona Spiritus sancti connumeratur, ut patet 1. a. 11. Ergo hæc doctrina non est sapientia.

Sed contra est, quod dicitur Deut. 4. in princ. le. Hæc est nostra sapientia, & intellectus coram populis.

Respondeo dicendum, quod hæc doctrina maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter. Cum enim sapientis sit ordinare, & iudicare, iudicium autem per altiore causam de inferioribus habeatur: Ille sapiens dicitur in vnoquoque genere, qui considerat causam altissimam illius generis: ut in genere ædificij artifex, qui disponit formam domus, dicitur sapiens, & architector respectu inferiorum artificum, qui dolant ligna, vel parant lapides. Vnde dicitur 1. Corinth. 3. Ut sapiens architector fundamentum posui. Et rursus in genere totius humanæ vitæ prudens sapiens dicitur, in quantum ordinat humanos actus ad debitum finem. Vnde dicitur Prou. 10. Sapientia est viro prudentia. Ille igitur, qui considerat simpliciter altissimam causam totius vniuersi, quæ Deus est, maxime sapiens dicitur. Vnde & sapientia dicitur esse diuinorum cognitio (ut patet per Aug. 12. de Trinit.) Sacra autem doctrina propriissime determinat de Deo secundum quod est altissima causa: quia non solum quærit ad illud quod est per creaturas cognoscibile (quod philosophi cognouerunt,

D

vt

13.

6.

1. Præf. art.
3. Et 2. l. v. a-
log princip.
Et 1. contra
gen. c. 4. fin.
lib. 1. c. 2.
2. tom. 3.
Art. 2. hu-
ius quæst.

6. Ethic. c.
7. paulo 2
princip.
tom. 5.

Lib. 2. c. 14.
patet à
princ. tom. 3

ut dicitur Rom. 1. Quod notum est Dei, manifestum est illis / sed etiam quantum ad id, quod notum est sibi soli de se ipso, & alijs per reuelationem communicatum. Vnde sacra doctrina maxime dicitur sapientia.

Ad Primum ergo dicendum, quod sacra doctrina non supponit sua principia ab aliqua scientia humana, sed à scientia diuina, à qua sicut à summa sapientia omnis nostra cognitio ordinatur.

Ad secundum dicendum, quod aliarum scientiarum principia vel sunt per se nota, & probari non possunt: vel per aliquam rationem naturalem probantur in aliqua scientia. Propria autē huius scientiæ cognitio est, quæ est per reuelationem, non autem quæ est per naturalem rationem. Et ideo non pertinet ad eam probare principia aliarum scientiarum, sed solum iudicare de eis. Quicquid enim in alijs scientijs inuenitur veritati huius scientiæ repugnans, totum condemnatur ut falsum. Vnde dicitur 2. Cor. 10. Confilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei.

It. 10. Ethicor. c. 5. p. 1. r. ante finem, & lib. 3. c. 4. to. 5.

Cap. 2. parte 2. in fin.

Ad tertium dicendum, quod cum iudicium ad sapientem pertineat secundum duplicem modum iudicandi, dupliciter sapientia accipitur. Contingit enim aliquem iudicare vno modo per modum inclinationis, sicut qui habet habitum virtutis, recte iudicat de his quæ sunt secundum virtutem agenda in quantum ad illa inclinatur. Vnde, & in 10. Ethicor. dicitur, quod virtuosus est mensura, & regula actuum humanorum. Alio modo per modum cognitionis, sicut aliquis instructus in scientia morali posset iudicare de actibus virtutis, etiam si virtutem non haberet. Primus igitur modus iudicandi de rebus diuinis pertinet ad sapientiam, quæ ponitur donum Spiritus sancti, secundum illud 1. Corinth. 2. Spiritualis homo iudicat omnia, & c. Et Dion. dicit 2. cap. de diu. no. Hierotheus doctus est non solum discens, sed & patiens diuina. Secundus autem modus iudicandi pertinet ad hanc doctrinam secundum quod per studium habetur: licet eius principia ex reuelatione habeantur.

Confirmatio doctrinae articuli.

Conclusio est, Theologia nostra est maxime sapientia inter omnes sapientias. Tota difficultas huius articuli eodem modo, atque fere omnium præcedentium, in verbis potius quam in re posita esse videtur: an videlicet, Theologia de qua hætenus multa dicta sunt, sapientia nuncupari possit. Nullus autem est, qui neget, quæ verò ratione id

probet S. Thomas, patet ex textu. In cuius explanationem aliqua notat Caietanus, quæ, quoniam facilia sunt, libenter prætermitto. Probari autem potest ex doctrina Aristotelis 1. met. cap. 2. & 1. magn. Moral. cap. 35. & 6. Ethic. c. 7. ubi agit de sapientia, & docet, generali quadam ratione sapientem appellari, qui in sua arte, aut scientia exactissimus est, & qui non tantum scit ea, quæ ex principijs deduci possunt, sed etiam principia bene callet, simulque habet scientiam, & intellectum: sapientiam verò esse exactissimam scientiam vel artem, quæ vtrunque illud comprehendit: propriissime tamen sapientiam appellat, scientiam exactissimam earum rerum, quæ summo honore dignæ sunt, quam ipse dicit esse metaphysicam: potiori igitur ratione nostram Theologiam sapientiam de bemus appellare, quæ de ipso Deo præcipue tractat: nec solum ea considerat, quæ ratio naturalis investigare potest, sed etiam plura alia philosophis, & sapientibus huius mundi penitus ignota, quæ sola reuelatione diuina tradita sunt.

Quid sit sapientia.

14. Theologia nostra sapientia.

ARTICVLVS VII.

Verum Deus sit subiectum huius scientiæ.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod Deus non sit subiectum huius scientiæ. In qualibet enim scientia oportet supponere de subiecto quid est, secundum Philosophum in primo Posteriorum: sed hæc scientia non supponit de Deo quid est: dicit enim Damascenus: in Deo quid est, dicere impossibile est: ergo Deus non est subiectum huius scientiæ.

7. 1. Procl. art. 4. Et 5. metaph. lect. 6.

Non procul à prin lib. tom. 1. Lib. 3. de or. thod. fide c. 24.

2. Præterea, omnia quæ determinantur in aliqua scientia, comprehenduntur sub subiecto illius scientiæ: sed in sacra Scriptura determinatur de multis alijs quam de Deo, puta de creaturis, & de moribus hominū: ergo Deus non est subiectum huius scientiæ.

Sed contra, illud est subiectum scientiæ, de quo est sermo in scientia, sed in hac scientia fit sermo de Deo (dicitur enim Theologia, quasi sermo de Deo) ergo Deus est subiectum huius scientiæ.

Respondeo dicendum, quod Deus est subiectum huius scientiæ: sic enim se habet subiectum ad scientiam, sicut obiectum ad potentiam, vel habitum: proprie autem illud assignatur obiectum alicuius potentiæ, vel habitus, sub cuius ratione omnia referuntur ad potentiam, vel habitum, sicut homo, & lapis referuntur ad visum, in quantum sunt colorata; vnde coloratum est proprium obiectum visus: omnia autem pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium, & finem: vnde sequitur quod

quod Deus vere sit subiectum huius scientiæ. Quod etiam manifestum sit ex principiis huius scientiæ, quæ sunt articuli fidei, quæ est de Deo. Idem autem est subiectum principiorum, & totius scientiæ, cum tota scientia virtute contineatur in principiis. Quidam vero attendentes ad ea, quæ in ista scientia tractantur, & non ad rationem, secundum quam considerantur, assignauerunt aliter subiectum huius scientiæ, vel res, & signa, vel opera reparationis, vel totum Christum, id est, caput & membra: de omnibus enim istis tractatur in ista scientia, sed secundum ordinem ad Deum.

Ad primum ergo dicendum, quod licet de Deo non possimus scire, quid est, videtur tamen eius effectum in hac doctrina vel naturæ, vel gratiæ, loco definitionis ad ea, quæ de Deo in hac doctrina considerantur: sicut & in aliquibus scientiis philosophicis demonstratur aliquid de causa per effectum, accipiendo affectum loco definitionis causæ.

Ad secundum dicendum, quod omnia alia quæ determinantur in sacra doctrina, comprehenduntur sub Deo: non ut partes, vel species, vel accidentia, sed ut ordinata aliquo modo ad ipsum.

Conclusio est, *Deus est subiectum huius scientiæ.* Ratio verò, quia eam probat S. Thomas, quæ difficultas videtur, disp. seq. cum doctrina totius articuli examinabitur.

DISPUTATIO X.

De subiecto Theologiæ.

Status questionis. cap. 1.

Opinio Durandi. c. 2.

Refutatur sententia Durandi. c. 3.

Dux alie opinionis. cap. 4.

Deum sub ratione absolutæ Dei esse subiectum Theologiæ, verior sententia est. cap. 5.

Non solum Deus est subiectum Theologiæ respectu veritatum necessariorum, sed etiam contingentium. c. 6.

Argumenta quæ possunt opponi. cap. 7.

CAPUT I.

Status questionis.

1. **T**Ametsi præsens controuersia magni momenti non sit, quia tamen non omnino de nomine, sicut multæ ex præcedentibus, sed de re esse videtur, non est silentio prætermittenda. Eius autem gratia duo supponenda sunt. Vnum est, eam locum habere, & in sententia eorum, qui putant, Theologiam esse vnā simplicem qualitatem; & in opinione aliorum, qui docent, esse plures, vnāquamque circa suam conclusionem, ex quibus ordine, quodam vnā scientia constituitur. Cum enim querimus de subiecto Theologiæ, non de subiecto cuiuscunque conclusionis inquirimus, sed de subiecto totius scientiæ; quanuis, ut infra patebit, quamlibet etiam conclusionem ad
Vasquez in 1. part. 2. m. 1.

commune subiectum totius reducere possimus. Alterum est, quod optime notauit Dur. in qu. 5. Prolog. n. 6. nempe hoc interesse inter obiectum, & subiectum alicuius habitus, quod obiectum, si proprie loquamur, est id, quod primo, & principaliter scitur: talis est tota conclusio: illa enim tota cognoscitur.

Probat vero Duran. quoniam idem est cognoscere, & obijci cognitioni: cum ergo conclusio sit, quæ cognoscitur, ac proinde quæ obijcitur, illa erit obiectum habitus, tam scientiæ, quam opinionis. Subiectum verò alicuius habitus, non cui inhaeret, hoc enim sine controuersia est intellectus, sed circa quod versatur, de quo est præsens controuersia, tres debet habere condiciones. Primo debet esse quid incomplexum, ac proinde non est conclusio, sed subiectum conclusionis, id enim est subiectum, de quo in scientia aliquid demonstratur, seu probatur: siquidem scientia habitus est, qui versatur circa conclusionem demonstrandam, seu probandam: de eodem igitur subiecto scientia dicitur esse, de quo est ipsa conclusio: atqui subiectum conclusionis est quid incomplexum: ergo & subiectum ipsius scientiæ. Doctrina hæc est etiam Capreol. in qu. 4. Prol. art. 1. conclus. 2. quam colligit ex S. Thoma in Prol. sentent. art. 4.

Secundo ita primarie in scientia de ipso subiecto tractatur, ut cætera omnia ipsum respiciant, & ei quodammodo attribuantur. Probat Duran. quia de diuersis rebus vnā scientia esse nequit, nisi quatenus cætera omnia in vno vniuntur, tanquam in re, quæ præcipue in ea consideratur.

Tertio denique oportet, ut aliqua de subiecto ipso prædicentur denominatiue: omnis enim scientia ostendit, & demonstrat de subiecto passionem, & alia, quæ ei ad modum passionum conueniunt, sed passio, vel id quod instat passionis conuenit subiecto, de ipso denominatiue prædicatur: ergo necesse est, de subiecto aliqua denominatiue prædicari. Hæc supponit Duran. eo loco. Cæteri vero Scholastici, qui hanc tractant questionem, tamen expresse non distinguant inter subiectum, & obiectum; plures tamen eorum de subiecto non de obiecto loquuntur: maxime verò Gab. & alij Nominales, quos infra memorabimus, & Agidius in 2. p. prol. q. 1. Excipio Scotum, qui quæst. inferius citanda indiscriminatim idem appellat subiectum, & obiectum.

Capreolus verò idem putat esse obiectum formale, quod principaliter consideratur in scientia, & subiectum illius: non tamen obiectum absolute totius scientiæ. Henricus tandem aliud appellat subiectum, aliud vero materiam: idem autem videtur vocare materiam quod obiectum. Quem modum loquendi sequuntur aliqui Scholastici, quos infra referemus. In hac igitur controuersia semper subiectum vsurpabimus in ea significatione, quam dixit Duran. sic enim Scholastici quamplures accipiunt, & de hoc modo maior est difficultas. Ex dictis autem constat, quæstionem non esse solum verborum, sed etiam rerum: cum enim Doctores conueniant in appellatione subiecti, & conditionibus illius, dissident tamen de re, cui tales proprietates in Theologia conueniant.

Posterior.
Obiectum
scientiæ sunt
conclusiones

Duran.

Tres subiecti
conditiones.

2.

Subiectum
scientiæ est
quid incomplexum.

Capreol.

Omnia quæ
in scientia
tractantur
respiciunt
subiectum.

Alique de
subiecto
scientiæ de-
nominatiue
prædicantur.

Nominales.
Gab.
Agid.
Scotus.

3.

Capreol.

Henric.